

O.K. 400,16.



MEMORIAM
DIVI ADOLPHI
DVCIS SLEVICENSIVM
RENOVAT

AD AVDIENDAS BENEVOLE
ORATIONES

QVIBVS LAVDES EIVS

SEX PRAESTANTIS INGENII
EXIMIAEQUE INDOLIS ADOLESCENTES
CELEBRABUNT

OMNES LITERARVM FAVTORES
OFFICIOSE ET PERHUMANITER INVITAT

M· IO· ANDREAS CLEFFELIUS
LYC· CATHEDR· RECTOR



MEMBRUM
CIVITATIS PHILIPPI

DACIS LIBERATIONIS
REMONSTRANTIA

ORATIONES

OLIBAS LAVDES EIS

SEX PLURIMI MUNDI MAGNI

EXALTAZIONE MODULI PRAEFESTA

CEREBRUM MUNDI

OMNES CITERA RUM FAVORES

OFFICIOS ET PERHUMANITATI INITIAT

M. IO. ANDREAS CLIFFEELIAS

YUG. CATHEDR. RECTOR





Quantum olim Romanorum
existiterit studium, Princi-
pes magnis, et in patriam,
et in ciues suos, meritis illustres,
sempiternae commendandigloriae,
resque praecclare ab iis gestas ad o-
mnem posteritatem transmittendi,
non Latini solum scriptores lo-
quuntur, sed numi etiam, qui, ex Se-
natus auctoritate conflati, rerum to-
to fere orbe gestarum memoriam
seruant, satis testantur. Cum enim
opinione citius complures easque
disiunctissimas regiones numi,
quippe quos manibus quotidie te-
rimus, percurrent, heroum suorum
praeconia illis mandanda esse rati-
funt,

funt, ut sparsa atque disseminata in
orbem terrae facta egregia, eo minus
intermorituram iis laudem pare-
rent, quo saepius memoria eorum
refricaretur. Inde factum est, ut
multa sint in historia, quae uel plus
haberent obscuritatis, uel in tene-
bris iacerent penitus, nisi humorum
lumen accederet, quod praeclaro
fane, et ad omnem aeternitatem du-
raturo opere demonstrauit Vir et
eruditionis gloria et splendore no-
minis illustris EZECHIEL SPANHEMIVS.

Spanhem, de
usu et prae-
stantia nu-
mismat.

Quotiescumque autem uel bono
parebant Imperatori, uel insigni
quodam fortunae munere ornata
erat res eorum publica **FELICI-**
TATEM SAECVLI celebrab-
bant, quod ex compluribus, apud
PATINVM, TRISTANVM, VAILLANTIVM,
MEDIOBAREVM, BANDVRIVM, aliosque
numariae rei scriptores, exemplis
perspicuum est. Non equidem infa-
tias

tias eo, saepius illas laudes hinc adulationem eliciuisse, illinc metum excusisse, sed tamen ex his cunctas dimanasse fontibus nemo, nisi omnem antiquitati fidei uelit detrahere, facile dixerit. Cum primis uero **SAECVL**
I FELICI
TATEM numi, in Augusti honorem cuius, referunt, de quorum ueritate eo minus dubii reliquum est, quo pluribus scriptorum testimoniis, Augusto imperante, Romanas res ad summum felicitatis fastigium euectas fuisse, edocemur. Saeculi quippe felicitas ab eorum pender moribus, penes quos summa est potestas, quorum prudentia et uirtutes paruae crescunt, temeritate uero ac libidinibus uel maxime dilabuntur. Tantum igitur Augusti saeculum reliqua omnia superauit felicitate, quantum ipse Augustus Imperatores reliquos

A 5

pru-

prudentia, fortitudine, humanitate
et fortuna antecessit. Namque am-
plissimam Iulii Caesaris hereditatem
consecutus, comparato exercitu,
tam prospero fortunae flatu est usus,
ut cum opibus Caesaris et virtus et
fortuna ad eum peruenisse uidere-
tur. Exstinctis igitur voluntaria
morte Caesaris interfectoribus, Le-
pidoque et Antonio cum quibus
societatem paullo ante inierat, op-
pressis, rem publicam multis con-
cussam motibus, uel inuasit, uel de-
latam sibi, capessiuit. Pluribus enim
secundis praeliis commissis, iuue-
nis adhuc, auctus potentia, supre-
mos Romae honores et magistra-
tus, etiam ante tempus, cepit, et ita
gessit, ut uiam sibi ad obtinendum
imperium muniret, reique publicae
totintestinisturbis defessae, subsidio
ueniret. Noua autem haec, quam
multo quaesiverat studio, domi-
nati-

natione comparata, beata sibi ciui-
um uita proposita, operam dedit,
ut opibus firma, copiis locuples, glo-
ria ampla, uirtute honesta esset ciui-
tas, quod Scipio olim, ut est apud
Ciceronem, rei publicae moderato-
ri praescripserat. Nihil igitur o-
missurus eorum, quae ad ordinan-
dam ciuitatem pertinent, magistra-
tus pristinos reuocauit, et nouos in-
stituit. Seueritatem uero mansue-
tudine temperans, et, quod impe-
rante cumprmissis decet, populi
commodis omni studio consulens,
PATER PATRIAЕ confalutari meruit,
tantisque a Populo Romano ho-
noribus decoratus est, quantis ante
illum nemo, ut tantam fortuna felici-
tatem ipsi dedisse uideatur, quan-
tum industria uirtutem sibi et pru-
dentiam comparauerat. Ita uero
felicitatem omnem tulit, ut maxi-
mum eius fructum in ciuitatem

Ro-

Suet. lib.
c. 58

Suet l.c.c. 53 Romanam deriuauerit, et Dominus
esse, quam uel uideri, uel appellari,
maluerit. Afflictam quippe rem-
publicam et labefactatam opibus
firmaturus, acerrimis nationibus
domitis, durissimisque bellis con-
fectis, ter pacato terrarum orbe uni-
uerso, lanum clausit, SVETONIO quem
Iani templi frustra heic, MASSONIO docente, lacel-
lereb. Sect. II.
c. I, sq.

funt, eruditu auctore. Reddita hoc
modo tranquillitate, et pace terra
marique parta, dignitatem imperii,
cuius fines, adiunctis illicom pluri-
bus prouinciis, Aegypto, Cantabria,
Aquitania, Pannonia, Dalmatia
Germania atque Rhaetia, et recu-
perata Armenia, dilatauerat, mirum
in modum auxit, et urbis pro impe-
rii maiestate non satis exornatae,
splendorem, magnificis operibus
exstructis, amplificauit, ut gloriatus
fuerit iure, marmoream se relinque-
re, quam lateritiam accepisset. Non
ne-

necessarium laborem susciperem ;
si uel spectaculorum uarietatem, uel
pomparum magnificentiam multis
exornarem, cum ipsius populi soluta
uota satis testentur, quem rei publi-
cae statum collocauerit In uiolatam
eorum memoriam seruant numi, et
ille cum primis, quem PATINVS ex-
hibet, cum hac inscriptione, I·O
M·S·P·Q·R· VOTA SOL
VIT PRO SALVTE IM
PERATORIS QVOD
PER EVM RES PVBLICA
IN AMPLIORE ATQVE
TRAN QVILLIORE
STATV EST. Neque uero re-
ligionis omnino nullam habuit cu-
ram, sed receptorum Romae numi-
num cultum instaurauit, nouasque,
ingentis sumtu exstructas, aedes dedi-
cauit. Quamquam autem tot cu-
ris, tot negotiis, quae ingens im-

ad Suet.
p. 18

B

perii

perii moles afferebat, implicaretur,
nunquam tamen literarum studia,
quibus Apolloniae olim operam
dederat, intermisit. Grauiores
enim occupationes mansuetioribus
Musis temperans, cum uiris eru-
ditis, qui Maecenatis, praecipui
eius amici, gratia inuitati, Romam
magno numero confluxerant, con-
suetudinem iunxit, animuique a
publicorum strepitu negotiorum,
uel doctorum congressibus, uel
scriptionibus uariis, refecit. Tan-
tus igitur cum fuerit Augustus,
mirum sane non est, quod, urbe
in summo constituta flore, omni-
um animos, laetitia perfusos, sibi
conciliauerit. Cunctos quippe ita
deuinxerat, ut, uel ab aucto im-
perio, uel, quoda ueritate abest pro-
pius, a diuinitate quadam, quam
in eo esse partim adulatio, partim
superstitio fidem fecerat, AVGUSTVS,
com-

communi ore appellaretur , et
mortuus , in Deorum numero po-
situs , diuinis honoribus , quos ui-
uus iamdudum receperat , templis
dedicatis , aris exstructis , instituto-
que sodalium Augustalium sacer-
dotio , coleretur . Quamquam autem
modum hoc prorsus excedat o-
mnem , et manifesta teterimae gen-
tilium impietatis indicia ostendat ,
sat caussae tamen Romanis fuisse
existimo , quamobrem , amplifica-
to urbis splendore , imperiique
dignitate restituta , Augustum sum-
mis honoribus afficerent , et **SAE-**
CVLI FELICITATEM
praedicarent . **Quis enim** princi-
pem , cuius auspiciis patria crescit ,
et temporum felicitas , bello turbata ,
parta pace , reparatur , non ample-
ctet etur ? **Sleuenses** sane , si ma-
gna cum paruis licet componere ,
sancte inviolateque seruant , et li-

B 2 tera.

terarum monumentis celebrant
DIVI ADOLPHI PRIN-
CIPIS memoriam, quo Duce et
in his terris, compositis rebus, do-
mitisque Dithmarsis, **SAECU-**
LI FELICITAS coepit ef-
florescere. Magni enim consilii,
nec minoris uirtutis, Princeps, ad
ordinandam rem publicam accessit,
omnibus illis animi donis eximiis
amplissime instructus, quae ad re-
gendam ciuitatem pertinent. Pri-
mis quippe pueritiae annis, quos
in literarum institutione consum-
sit, elapsis, illis cum primis operam
dedit exercitationibus, quibus iu-
uentutis Principes ad capeſſendum
imperium, et belli labores perfe-
rendos formari solent ac praeparari.
Magna enim, qua praeditus erat,
indole ad summam belli gloriam fe-
rebatur, et singulari laudis cupidine
incensus, factis praeclaris aeternita-
ti

ti nomen suum consecrare stude-
bat. Quare commotus, relicta patria,
quae, pro magnitudine desiderii
eius, nimis angustis limitibus con-
tinebatur, ampliorem quaerebat
campum, in quo et animi et cor-
poris vires explicaret, virtutisque
suae documenta daret sempiterna
commemoratione digna. Bruxellas
igitur, regia Caroli Quinti ea tem-
pestate celebres, se contulit, ut tan-
ti Imperatoris comitatui additus,
tum prudentiam rei publicae ad-
ministranda sibi acquireret maio-
rem, tum rei quoque militaris sci-
entiam amplificaret. Illustri au-
tem Caesaris exemplo excitatus,
altius enitendum sibi esse ratus est,
ut famam factis extenderet, uti
Poeta loquitur. Totius Principes
imperii illo tempore apud Carolum
de grauissimis, et ad componenda
tot dissidia spectantibus rebus co-

B 3

gnitu-

gnituri , constuxerant , ut immen-
sam discendi cupiditatem explere
potuerit . Septem igitur annos
incomitatu Caesaris permansit , et
Augustanis quoque comitiis , ut
omnium particeps consiliorum fie-
ret , interfuit . Finitis comitiis ,
cum haud ita multo post , in Gal-
los arma sumeret Carolus , utut for-
tuna eum repudiaret , Adolphus
tamen deserendum cum haud esse
ratus est . Heic enim facultatem
sibi suppeditatam , aeternam sibi
gloriam conciliandi , arripiebat .
Metae ab exercitu Caroli peteban-
tur , et tanto oppugnabantur impe-
tu , ut multus utrinque sanguis fun-
deretur . Adolphus autem eximia
fortitudinis suae indicia dedit , ut ,
cum soluta obsidione , quam par-
tim uirtus defensorum , partim
hiemis iniuria , impediuera^t ,
patriam repeteret , primam ex hoc
bel-

bello lauream reportaret, quam, haud ita multo post plures exce-
perunt, quibus effectum est, ut sum-
ma rei militaris circuli Saxoniae In-
ferioris ad illum deferretur. Virtu-
te igitur sua tantam omnibus ad-
mirationem mouens, in Elisabethae
Anglorum Reginae amicitiam quo-
que peruenit, et, ad eam commi-
grans, magnifico etuere regio appa-
ratuest exceptus. Animum autem
Reginae huius, et sapientiae laude,
et rerum, quas gessit, magnitudine
celebratissimae ita sibi deuinxit,
ut, amplissimis ornatum muneri-
bus, summo ordinis Anglici, cui a
Pericelide nomen est, honore col-
lato, et annuo, eoque lautissimo,
stipendio ipsi constituto, dimitte-
teret. Interea tamen Adolphus
omnibus cogitationibus suis in salu-
te ciuium suorum locatis, illos et
pietate praeditos esse uoluit, et
mni-

mnigena felicitate frui. Probe au-
tem intelligens, unicum reipubli-
cae firmamentum religionem esse,
praecipuam eius curam suscepit, ut,
hoc adstrictos uinculo, in officio
ciues contineret. Defuncto iu-
niore fratre Friderico, Episcopus
Slesuicensis constitutus, oppressa
uel labefactata Canonicorum liber-
tate, adiuncto sibi suffraganeo, ut
uocant, Paullo ab Eitzen, ecclesia-
rum ditionis suae curam commisit,
eas uisitari iussit, ut sacra ordine
decenti procurarentur, et uera, Lu-
theri ministerio repurgata, religio-
ne firmata, Papalis superstitionis lon-
gius arceretur. Metuendum erat
praeterea, ne complures ex Belgio,
aliisque prouinciis, in has oras de-
lati Anabaptistae, et alii, eiusdem
furoris homines, ficta pietatis spe-
cie induiti, in sacra munia se ingere-
rent, adeoque animarum saluti plu-
rimum

rium detrimenti afferrent. Formulam igitur iuris iurandi, quo omnes ministerio sacro functuri obstringerent se ad tuendam constanter profitendamque doctrinam, symbolicis ecclesiae nostrae libris comprehensam, componi iussit, omnibusque uerbi diuini praeconibus, in refellendis aducrſiorum placitis modestiam, et in castigandis corruptis hominum moribus mansuetudinem imperauit. Noverat enim Princeps optimus illos, qui uerbis ad humanitatem compositis, et amore aliquem auditorum referentibus, utuntur, plus animo ponderis ingerere, quam ab illic, qui uehementi clamore erroribus ac uitiis intonantes, fulgor ex pelui mittere uidentur, exspectari possit. Nihil autem in praesenti arum de Adolphi pietate, et in egenos liberalitate, dicam, cum o-

C
mnia

mnia prolixè persequi et ab in-
stituti mei ratione alienum sit, et
pagellarum angustia haud permit-
tat. Paucis autem multa complectar,
SAECVL I Christiani uera **FELI-**
CITAS ex diuturnis quibus
circumfusa erat, tenebris Adolphi
auspicio penitus emersit. ^{up} Nec mi-
norem Adolphus diligentiam ad-
hibuit, ut iustitiae suus haberetur
honor, ideoque, legibus ciuitatem
muniturus, iunctis cum Daniae Re-
ge Friderico II, fratreque Ioanne
consiliis, quibusdam et genere et
doctrina nobilibus purpuratis cu-
ram noui Processus Hollatici com-
ponendi commisit, adeoque in foro
SAECVL I FELICITATIS
statuit monumentum. Magnas
saepe iniurias intulerant Slesuicen-
sibus Dithmarisi, libertate feroce,
et multis frustra tentati bellis. Hos
igitur, cum nouis iniuriis ueteres
cumu-

cumularent, ulturus Adolphus, so-
cietate cum Rege Daniae, et Ioanne
fratre inita, arma in eos mouit, et,
compluribus praeliis prostratos fra-
ctosque, tandem domuit. Dithmar-
sis quippe fortiter impetum susti-
nentibus, acerrime ad Meldorpium
pugnatum est, ut graui uulnere ac-
cepto, ipse Princeps, suo sanguine
libertati gentis parentauerit, omnes
suo docens exemplo, hauriri non
posse sanguinem, nisi detur. Hoc
modo **FELICITATEM**

SAECVLI suo cruore notans,
gentem deuictam in ciuitatem ac-
cepit. Tot clarus uictoriis Princeps,
nec a literarum studiis abhor-
ruit, sed **FELICITATEM**

SAECVLI amplificaturus, bonas
artes omni promouendas ope cen-
suit, ut his adminiculis et ecclesiam
et rempublicam firmaret. Paedago-
gium igitur Slesuici eo fine condi-
dit,

dit, ut Provinciale aliquod Gymnasium esset, in quo, positis lingua-
rum fundamentis, artes liberales col-
lerentur, et pubes Scholastica omni
disciplinarum genere formaretur.
Prefectus huic scholae MICHAEL
STANHVRSTIVS primus Rector fuit.
illique praeter Theologiam, artes
quoque omni cura docendi munus
delatum est. Praeterea sacrarum
expositionem literarum PAVLLVS
AB EITZEN Superintendens Gene-
ralis, suscepit; Iura autem PAVLLVS
CYPRAEVUS, Consiliarius, professus
est. Deinceps uero exoleuit sen-
nal. Episc.
Steus p. 466.
sim optimum hoc principis insti-
tutum, et in ipso fere flore, col-
lapsum Gymnasium uires recipi-
re nunquam potuit. Illam tamen
obtinuit laudem Adolphus, quae
nec ulla unquam uerustate delebi-
tur, quod, licet bello delectatus
maxime fuerit, literas tamen ma-
gini

ghi fecerit, et, quod de FVLVIO pro Arch.
praedicat CICERO, Martis manubi-
as Musis consecrauerit. Existi-
mationem eius mirifice quoque
auget, quod proditum memoriae
est, plures eum linguas accurate
calluisse. Tanta uero humanitate
eum fuisse comperimus, ut aditus
ad eum patuerit omnibus, et sua
cuius responderit lingua. Quibus
rebus effecit, ut, et ciuium animos
caritate sibi obstringeret, et felici-
tatem saeculi promoueret. Eadem
uero liberalitate Musas amplecti-
tur et tuetur Potentissimus Mo-
narcha noster FRIDERICVS IV, qui,
in restituenda **SAECVL**I FE-
LICITATE desudans, non ci-
uilem solum, sed sacrarum etiam
et ad literas pertinentium rerum
curam gerit singularem. Cum igi-
tur Serenissimi NVTRITORIS nostri
indulgentia artium sedes heic no-

Heimric.
Annal. Fris.
Septentr.
lib. III, c. II:

C 3 bis

bis aperiatur, omni reuerentia ac
ueneratione munificentiam eius
excipiendam celebrandamque exi-
stimus, ut **SAECVLI** no-
stri **FELICITATEM** et secu-
tura commemorent tempora, et
omnis posteritas praedicet. Nos
quidem, cum reuocare in usum in-
termissas diu dicendi exercitatio-
nes constituerimus, Adolphi Du-
cis, Lyceinostri conditoris, et Fri-
derici IV Regis, Nutritoris cle-
mentissimi res gestas cumprimis
praedicari oportere, rati sumus. Sex
igitur haud uulgaris ingenii, indu-
striaeque singularis, nec minoris
spei, ciues Lycei, qui, et honestae
studio laudis incensi, et, partim
maiorum suorum, partim honorum
quorumcunque, exemplis excitati,
ad quaeuis praecolla eniti student,
in lucem prodire, et publica indu-
striae suae documenta dare audent,
uer-

uerba de Adolphi meritis facturi,
et clementissimi Regis munificen-
tiam praedicaturi, et uota pro in-
columitate publica soluturi Com-
parebunt autem in hac dicendi pa-
laestra hoc ordine

- I. IO. GEORGIVS PFENNING, *Slesvicensis*,
caussas recensebit, quibus motae
Musae ad Sliam laudes Adolphi
celebrent, benevolentiam Au-
ditorum eadem opera exoraturus.
- II. IO. FRIDERICVS FITZMANVVS, *Slesvicensis*,
studium, quo prudentiam, rei-
que militaris peritiam sibi parauit
Adolphus, atque adeo res foris ab
eo gestas, extolleat.
- III. GEORG HENRICVS IOANNES SCHMIE-
DEN, *Slesvicensis*, res domi gestas exor-
nabit.
- IV. IO. FRIDERICVS NOODT, *Slesvicensis*,
Adolphi in religionem et literas
merita persequetur.
- V. HENRICVS CAROLVS STAMMETZ,
Reinfelda Ploeneusis Friderici IV. cle-
men-

*DAHm
3613*

mentissimi Regis nostri laudes
breuiter strictimque celebrabit.
VI. MARTINVS VLRICVS CLAVSEN, ^{Fle}ns-
burgensis, de felicitate, qua nunc fru-
itur Dania, exponet, et, uotis pro
patriae incolumitate factis, audi-
toribus gratias aget.

Quantum autem utilitatis hac
exercitationes scholasticae iuuentu-
ti afferant, aequi rerum aestimatores
facile perspicient. Omnes igitur
LITERARVM PATRONOS ET FAVORITES ea,
qua decet, obseruantia et humanita-
terrogamus, CRAS B· C· D· HORA VIII· be-
neuolas oratoribus meis aures pra-
beant. Ita enim calcar iis addent,
ad studiorum cursum impigre per-
sequendum. Me uero ad quaevis
officiorum genera promptum habe-
bunt paratumque. Dabam e mu-
seo, X· Kal· Martias· A· R· G·
cōlōcc XXIV

Stiuiici literis Ioannis Holwein

O.K. 400,16.

In
3643

MEMORIAM
DIVI ADOLPHI
DVCIS SLEVICENSIVM
RENOVAT

AD AVDIENDAS BENEVOLE
ORATIONES

QVIBVS LAVDES EIVS
SEX PRAESTANTIS INGENII
EXIMIAEQUE INDOLIS ADOLESCENTES
CELEBRABUNT

OMNES LITERARVM FAVTORES
OFFICIOSE ET PERHUMANITER INVITAT

M· IO· ANDREAS CLEFFELIUS
LYC· CATHEDR· RECTOR

